BIBLIOTHECAE APOSTOLICAE VATICANAE CODICES MANV SCRIPTI RECENSITI

IVSSV

PAVLI VI

PONTIFICIS MAXIMI


CODICES VATICANI GRAECI

CODICES 1745-1962

RECENSVIT

PAVLVS CANART
BIBLIOTHECAE VATICANAE SCRIPTOR

TOMVS II
INTRODVCTIO ADDENDA INDICES



IN BIBLIOTHECA VATICANA
MCMLXXIII



Imprimatur:
† Petrus Canisius van Lierde, Vic. Gen.
E Vicariatu Civitatis Vaticanae
die 26 octobris 1973.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

PAVLO · VI

PONTIFICI · MAXIMO

SACRVM

PRAEFATIO

Nunc denique, benigne lector, alterum volumen catalogi codicum Vaticanorum graecorum 1745-1962 in lucem prodit, quod introductionem, addenda et emendanda nec non indices complectitur. De introductionis et addendorum indole vide sis quae initio horum capitum scripsi. Alphabeticus autem index omnia quae in ipsis codicum enarrationibus, introductione addendisque contenta sunt repetit, si pauca addenda excipias quae post indicem ad summam compositum et correctum inicere utile duxi. Sed officinarum chartariarum signa in peculiari indice enumerare et cum elenchis typis impressis conferre necessarium visum est, ut eorum recensio rei codicologicae ut aiunt aliquo modo prodesset.

In hoc diuturno et humili labore mihi maximo adiumento fuit collega et amicus Salvator Lilla, qui plagulas attente legit et in notis numeralibus cum priore tomo anxie conferendis multum tempus consumpsit; si quae omissiones et errores supersunt, mihi soli tribuantur. Aliis viris doctis et amicis infra suis locis gratias agam, at facere non possum quin nomina hic memorem eorum qui operi anno 1957 incepto magna benevolentia, fiducia patientiaque foverunt, Em.mum Dominum Eugenium Tisserant (†), S. R. E. Bibliothecarium ac Scriniarium, Em.mum Dominum Anselmum Albareda (†), R.mum Patrem Alphonsum Raes, R.mum Dominum Alphonsum Stickler, praefectos Vaticanae Bibliothecae.

Huic catalogo finem tandem imponenti mihi concessum sit graecorum scribarum illud repetere: *τῷ συντελεστῇ τῶν καλῶν Θεῷ χάρις*.

Scribebam in Civitate Vaticana die 11 mensis Iulii anni 1973.

Paulus Canart

INTRODUCTIO

1. Si quis fortunam codicum manuscriptorum qui « Vaticani graeci » inscribuntur illustrare vult, codices numeris 1745-1962 insignitos seorsim tractare non potest ab eis quos Cyrus Giannelli praedecessor b. m. sub numeris 1684-1744 [1], immo sub numeris 1485-1683 [2] enarravit. Itaque intricatas vicissitudines codicum Vat. gr. 1487[3]-1962 cum in peculiari dissertatione sermone vulgari (gallico scil.) conscripta variisque documentis aucta describere maluerim [4], in hac introductione breviter ea tantum complectar, quae ad huius catalogi enarrationes rectius intelligendas necessaria videntur.

2. Codicum Vat. gr. 1487-1962 maior pars ad Bibliothecae Vaticanae pluteos triginta prioribus annis saeculi XVII accessit. At cave ne putes hodiernum ordinem codicum tempora quibus unusquisque comparatus est certe exprimere. Nam anno 1628, Felice Contelorio Bibliothecae praefecto, codicum Vaticanorum graecorum series qui in inventario a Iohanne et Iulio a Sancta Maura confecto [5] nondum inclusi erant [6], ita graviter perturbata est, ut novus quidam ordo institueretur, qui numeros a 1487 usque ad 1922 circiter comprehenderet. Ita codices numeris 1487-1590 praediti breviterque

[1] *Codices Vaticani graeci. Codices 1684-1744 recensuit* Cyrus GIANNELLI. *Addenda et indices curavit* Paulus CANART (*Bybliothecae Apostolicae Vaticanae codices manu scripti recensiti...*), in Bybliotheca Vaticana, 1961.

[2] *Codices Vaticani graeci. Codices 1485-1683 rec.* C. GIANNELLI (*Bybl.* etc.), in Bybl. Vaticana, 1950.

[3] Etsi Cyri Giannelli prior catalogus a numero 1485 incipiat, numerus 1487 terminum signat ad codicum fortunam et inventariorum compositionem aptiorem: v. infra annot. 5.

[4] Quae sub titulo *Notes et documents pour l'histoire des Vaticani graeci 1487-1962* in serie quae *Studi e Testi* inscribitur in Bibliotheca Vaticana proxime edetur. Eam deinceps sub tit. *Notes et documents* compendiose citabo. De omnibus quae ad Bibliothecae Vaticanae manuscriptorum codicum fortunam attinet cf. etiam Jeanne BIGNAMI ODIER, *La Bibliothèque Vaticane de Sixte IV à Pie XI. Recherches sur l'histoire des collections de manuscrits.* Avec la collaboration de José RUYSSCHAERT (*Studi e Testi,* 272), Città del Vaticano, 1973.

[5] De quo v. sis P. PETITMENGIN, *Recherches sur l'organisation de la Bibliothèque Vaticane à l'époque des Ranaldi (1547-1645),* in *Mélanges d'Archéologie et d'Histoire* [de l'] *École Française de Rome,* t. 75 (1963), p. 613, necnon R. DEVREESSE, *Le fonds grec de la Bibliothèque Vaticane des origines à Paul V* (*Studi e Testi,* 244), Città del Vaticano, 1965, pp. 481-482. Quod inventarium codices usque ad num. 1489 inclusive describebat; at tres ultimi codices tempore ut videtur « magnae immutationis » a. 1628 translati sunt eorumque in locum tres alii suffecti, ita ut hodierni Vaticani graeci usque ad numerum 1486 tantum in hoc inventario includerentur.

[6] Tribus tamen codicibus exceptis, de quibus v. praecedentem annot.

descripti [7] aliter distributi sunt; libri autem manuscripti ab Aloysio Lollino testamento dati et pro tempore sepositi Vaticanorum seriei inserti sunt, numeris 1684-1806, si nonnulli excipiuntur, signati; reliqui vero intra numeros 1487-1683 et 1807-1922 dispersi sunt, nulla eorum originis ratione habita. Librorum Lollinianorum serie excepta, primigeniae codicum familiae ita commixtae et confusae sunt, ut hodie difficillime saepius agnoscantur, praesertim si eos codices respicias qui « magnae immutationis » anno (1628) certo numero nondum insigniti essent. Ab anno autem 1628 ad annum 1786, quo codices « Basiliani » ut aiunt (Vat. scil. gr. 1963-2123) comparati sunt, series graeca Vaticana multo lentius accrevit; sed in hac quoque parte longe abest ut ordo numerorum, 1923-1962 scil., cum annorum vel mensium vicissitudine congruat quibus libri inter cimelia Vaticana accesserunt.

3. Itaque codices manuscripti in hoc catalogo descripti in tria agmina dividuntur, quorum primum certe definiri potest, reliqua vero duo inter sese minus facile distinguuntur. Primum altera parte codicum Lollinianorum efficitur, Vat. scil. gr. 1745-1806, quorum enarratio a ceterorum codicum episcopi Bellunensis (Vat. gr. 1684-1744) descriptione ob casum tantum infeliciter disiungenda fuit; secundum autem codices complectitur qui a Bibliothecae Vaticanae procuratoribus « magnae immutationis » tempore (1628) iam comparati eo ipso anno post seriem Lollinianam positi sunt (Vat. gr. 1807-1922 circa); tertium denique codices comprehendit qui, licet nonnulli prius in Bibliothecam pervenissent, numerum publicum et ultimum intra annos 1628 et 1786 acceperunt (Vat. gr. 1923 circa-1962). Sed de unoquoque agmine nunc paulo longius est disserendum.

I. De codicibus Lollinianis (Vat. gr. 1745-1803, 1806).

4. Aloysius Lollinus (italice Alvise Lollino), patricius Venetus, postea episcopus Bellunensis factus, codicum manuscriptorum graecorum sat amplum pretiosumque thesaurum sibi comparavit, quo amicos aliosque viros doctos uti libentur concedebat, quodque Vaticanae Bibliothecae dono dare testamento voluit. Vita functo hoc egregio episcopo die 28 m. martii a. 1625, volumina graeco sermone scripta diligenter conquisita sunt et, postquam inventarium Veneti praefecti (podestà) iussu confectum est, apostolico nuntio

[7] Haud inutile visum est lectoris in memoriam redigere inventarium quoddam codicum Vat. gr. 1490 sqq. saec. XVII ante med. adumbratum esse, quod hodie in codice Barb. gr. 202 servatur. Hic codex, quem in dissertatione *Notes et documents* inscripta minute enarravi, pro maiore parte ex ipso calamo Leonis Allatii fluxit. Qui codices Vaticanos gr. 1490-1590 sub antiquis numeris primum descripsit, sub novis autem complures inter eosdem codices necnon hodiernos Vat. gr. 1629-1802, 1915-1929 (nonnullis exceptis) postea enarravit.

Venetiis transmissa; libris autem et fragmentis nonnulli chartarum fasciculi in quadam arca inventi paulo postea sunt adiuncti. Totam hanc supellectilem nuntius Romam misit, quo circa 22um diem mensis maii pervenit; insuper curavit nuntius complura inventaria ipsa Lollini manu partim exarata Bibliothecae custodibus simul transmittenda; quorum auxilio quae opera codices Lollino vivente continuerint dinosci potest.

5. Bibliothecae Vaticanae custodes Lollinianos codices cum accepissent in quendam ordinem ad tempus redegisse fasciculisque solutis aliquot volumina constituisse patet; quae facientes nonnulla consulto omiserunt, v. g. ob insolitas chartarum mensuras, alia vero animo minus attento praeterierunt; attamen codicem Dionysii Areopagitae operum quem Lollinus vivus Paulo pp. V dono dederat (i. e. hodiernus cod. Vat. gr. 1787) cum ceteris episcopi codicibus coniungere minime sunt obliti. Libris ita collectis ordinatisque numeri tributi sunt, quos praeviis codicum paginis inscriptos Felix Contelorius paulo postea « antiquos » vocavit (v. sequentem paragraphum). Eodem tempore inventarium secundum ordinem numerorum dispositum verisimillime confectum est, licet hodie inveniri iam non possit; quidquid de hac re fuerit, aliud inventarium coaevum graece scriptum et in ordinem alphabeticum redactum in codice Vat. lat. 7138 servatur.

6. Ante diem 29um m. iunii a. 1626 Lolliniani codices integumentis vestiti sunt scuta praebentibus Urbani pp. VIII et Scipionis Cobelluzzi cardinalis bibliothecarii. Paulo postea, die scil. 27° m. novembris a. 1626, Felix Contelorius (italice Felice Contelori) primi custodis munus publice assumpsit et mox statuit codicibus graecis nuper acquisitis novum ordinem imponere, fortasse ut libros earundem mensurarum iisdem in pluteis collocaret. Nec Lolliniani libri Contelorii curam effugerunt, qui omnes « numeris novis » signati sunt. Propria autem manu custos duplex inventarium scripsit, quod hodie in codice Vat. lat. 7762 servatur: prius (ff. 1-17^{v}), ordine alphabetico congestum, nonnisi est versio latina indicis alphabetici graeci codicis Vat. lat. 7138, de quo supra egi (v. paragraphum 5); alterum (ff. 19-31^{v}), secundum ordinem numerorum (« novorum » scil.) dispositum, e priore manasse videtur; ad calcem (ff. 34-35^{v}) Contelorius duas tabulas posuit quibus « numeri antiqui » cum « novis » conferri possent. Ipsorum codicum integumentis iam praeditorum summis dorsis scidulae chartaceae quadratae formae agglutinatae sunt, in quibus brevis contentorum enumeratio necnon infra « numerus novus » legebatur. Qua ex re patet primum custodem eo tempore nondum decrevisse ut codices Lolliniani Vaticanorum graecorum turmae insererentur.

7. Iam parvum temporis spatium intercedit priusquam codices Lolliniani, numerorum « novorum » ordine servato, Vaticanorum seriei postremo aggregarentur, cum tertio iam die m. decembris a. 1628, Leo Allatius unum

e Lollini codicibus tamquam Vaticanum gr. 1718 citavisset[8]. Tunc Lollinianorum librorum dorsis affixae sunt scidulae cauliculis typis impressis ornatae, quae anteriores scidulas saepe pro parte texerunt[9]. Ceteroquin codices loco moventes bibliothecarii ordinem initio et in fine aliquantum turbaverunt, ut inter libros numeris 4 et 5 signatos librum non Lollinianum imprudenter insererent (hodiernus est Vat. gr. 1688)[10] et in locum codicis numero 120 praediti, cui nota 1804 inter Vaticanos graecos iure tribuenda foret[11], duos alienae originis suffigerent, hodiernos scil. Vat. gr. 1804 et 1805; quibus exceptis, ordo numerorum « novorum » integer remansit[11a].

8. Quid de paucis voluminibus, fasciculis, chartis quae, cum Lolliniana hereditas ad Bibliothecam pervenit, consulte aut inconsulte seposita sunt (v. supra paragraphum 5)? Dubium non est quin etiam haec in Vaticanorum graecorum codicum serie postea inserta sint, at deficientibus in ipsis codicibus notis quibus dinosci possint, sane difficile reperiri possunt. Agnoti sunt usque adhuc adiuvantibus veteribus inventariis necnon verbis doctorum illius aevi virorum Vaticani graeci 1908 (partim), 1951, 2281[12]; quibus tamen nonnulli alii in posterum fortasse addentur.

9. Inventaria vivo Lollino confecta cum hodierno rerum statu conferre hic mihi non est in animo: adeat lector benevolus dissertationem cui titulus *Notes et documents*. Sed hoc animadvertas volo, quod hodierna compositio haud paucorum voluminum ab ea quae vetera inventaria testantur discrepat, utpote a Vaticanis bibliothecariis effecta. Nam Lollinus, ut multi docti viri illius aevi, nullo modo properabat opera iussu suo exarata vel fragmenta forte comparata in volumina colligere; si etiam aliquando colligeret, nullam ei curam fuisse diversarum partium originis verisimillimum puto. Sane ex ipsis catalogorum enarrationibus multos libros artificiosos esse satis elucet; attamen prudenter ages, si huiusmodi codicum enarrationum partes vel capita cum tabulis dissertationi cui titulus *Notes et documents* inclusis semper contuleris.

[8] Archiv. Bibl. Vat., t. 30, f. 359v.

[9] De his scidulis, quae non solum Lollinianis codicibus sed compluribus aliis appositae sunt, in dissertatione *Notes et documents* inscripta amplius egi.

[10] Attamen fieri potest ut ipsa nota 1688 neglegentia tunc sit omissa, ita ut locus ad tempus vacuus relinqueretur; de quo in dissert. *Notes et documents* inscripta disputavi.

[11] Serius tantum sub num. 1923 consignatus est in albo codicum.

[11a] Vide sis inferius tabulas quibus codicum Lollinianorum numeri hodierni, « novi », « antiqui » conferri possunt.

[12] Rotulus est ille qui liturgiae S. Marci textum praebet; de quo v. A. Turyn, *Codices graeci Vaticani saeculis XIII et XIV scripti annorumque notis instructi* (*Codices e Vaticanis selecti quam simillime expressi*, 28), in Civitate Vaticana, 1964, pp. 23-25.

10. Multum abest ut uniuscuiusque Lolliniani codicis sortes persecutus sim, quamquam aliqua de eorum origine in dissertatione *Notes et documents* inscripta tradidi; hic lectorem ut ad nonnulla codicum agmina animum convertat monere satis duxi. De codicibus Patmiacis e quibus Lollinus iussit ut diversa opera transscriberentur etsi Ioh. Mercati summas res tractavit [13], quaedam tamen in supra dicta dissertatione correxi et addidi necnon quaestiones adhuc solvendas indicavi [14]; ibidem in appendicibus tabulas proposui quibus « status quaestionis » ut aiunt in compendium redigeretur partesque uniuscuiusque scribarum a Lollino mercede conductorum ad opus perficiendum definirentur. Quos inter unus, a Ioh. Mercati littera « A » signatus, nunc quasi certe nominari potest: Nicephorus « chartophylax » vocatus, monachus fuit et hegumenus Patmiaci monasterii, postea metropolita Laodicensis; de qua re in eadem dissertatione paulo amplius disputavi.

11. Alia exempla virorum doctorum curis digna Lollinus ad sua studia fovenda emit vel propria manu exaravit aut ab aliis exarari iussit. Haec puto maiorem partem (si non totam) effecisse illorum fasciculorum qui in quadam arca (italice « forziere ») confuse stipati post inventarium codicum factum reperti sunt et ceteris libris adiuncti; vix non omnes postea in codicibus Vat. gr. 1756 et 1759 in Bibliotheca Vaticana artificiose constitutis collectos esse satis liquet, cum in eis manus ipsius Lollini, Maximi Margunii amici aliorumque scribarum illius aevi nomine ignotorum agnoscantur. Ita sibi comparaverat Lollinus studiorum instrumenta quae vocarim de Gregorio Palama et Barlaam Calabro (Vat. gr. 1756, partes **8-9**, **11-17**, necnon verisimiliter **18**), de Plethone et Bessarione (Vat. gr. 1756, **3-6**, **10**; fortasse etiam Vat. gr. 1756, **1**, **2**, **7**, et Vat. gr. 1759, **12**), de Gregorio Nysseno (Vat. gr. 1759, **1-5**; Vat. gr. 1729, **1**); praeterea notentur inter codices Lollinianos tria alia antigrapha manu episcopi (Vat. gr. 1704 II; Vat. gr. 1756, **2** [pro parte tantum]; Vat. gr. 1759, **13** [pro parte]), unum vero Maximi Margunii (Vat. gr. 1702, **3**) exarata; quae omnia in dissertatione *Notes et documents* inscripta longius tractavi.

12. Tandem benignum lectorem admonere velim Lollinum — quonam tempore et ratione equidem adhuc nescio — partem codicum manuscriptorum comparasse Iohannis Nathanaelis, cappellani Graecorum ecclesiae Venetiis post saec. XVI medium electi. Sed cum in animo mihi sit hanc quaestionem

[13] V. in opere quod inscribitur *Per la storia dei manoscritti greci di Genova di varie badie basiliane d'Italia e di Patmo* (*Studi e Testi*, 68), Città del Vaticano, 1935, caput IV: *Il catalogo dei codici più notevoli di Patmo e le copie lolliniane ora nella Vaticana*, pp. 119-148.

[14] V. etiam in subsequenti indice alphabetico vocem quae inscribitur « antigrapha e quibus codices nostri descripti sunt ».

in peculiari dissertatione agitare[15], hoc notabo quod praeter codices in hoc catalogo signatos[16] alii duo (Vat. gr. 1733 et 1735) e Iohannis Nathanaelis calamo pro parte fluxerunt atque ab eius bibliotheca manarunt.

II. De codicibus post Lollinianos collocatis (Vat. gr. 1804-1805, 1807-1922 circa)

13. Libri iuxta codices Vat. gr. 1803 et 1806 collocati reliquiae imprimis sunt familiarum ut ita dicam codicum ante seriem Lollinianam positarum; sic invenies unum codicem Laelii Ruini (Vat. gr. 1804), unum Hermolai vel Francisci Barbari iunioris (Vat. gr. 1819), quinque Cryptoferratensis monasterii (Vat. gr. 1805, 1808, 1899, 1815, 1817).[17] Quibus tamen intermixti iam occurrunt membra earum familiarum quae maximam partem codicum post Lollinianos collocatorum efficiunt, libri scil. iam saec. XVI in Bibliotheca Vaticana servati (v. g. Vat. gr. 1816), codices « miscellanei » in eadem Bibliotheca saec. XVII variis fragmentis constituti (v. g. Vat. gr. 1822-1826), « italograecum agmen » quoddam obscurius (v. g. Vat. gr. 1812, 1813, 1818, 1820, 1821), de quo nunc brevi disseram.

14. A codice Vat. gr. 1810 haud pauca volumina notas numerales unius vel duorum signorum praebent in angulo saepius inferiore interno primae paginae manu saec. XVI ex. vel XVII in. inscriptas. Quae notae in viginti novem codicibus detectae et inter numeros 1 et 34 comprehensae seriem quandam manifeste efficiunt, quae in infra posita tabula conspici potest.

1	= Vat. gr. 1821	12	= Vat. gr. 1813	23	= Vat. gr. 1853
2	1820	13	1870	24	1829
3	1818	14	1866	25	1872
4	1812	15	1864	26	1837
5	1877	16		27	1848
6	1863	17	1871	28	
7	1836	18	1827	29	1847
8		19		30	1839
9	1894	20		31	1850
10	1810	21	1844	32	1833
11	1873	22	1876	33	1874
				34	1867

[15] De vita Iohannis Nathanaelis iam egi in dissertatiuncula cui titulus *La carrière ecclésiastique de Jean Nathanael, chapelain de la communauté grecque de Venise (XVIe siècle)*, in *La Chiesa greca in Italia dall'VIII al XVI secolo. Atti del Convegno storico interecclesiale (Bari, 30 aprile-4 maggio 1969)*, t. II (*Italia Sacra*, 21), Padova, 1972, pp. 793-824.

[16] V. indicem alphabeticum sub voce « Nathanael Iohannes ».

[17] De duobus aliis (Vat. gr. 1833 et 1834) mox in paragrapho 14 agetur.

Quin etiam codices ipsi plura communia exhibent quae ad opera contenta, scripturam fortunamque pertinent. Liturgici enim sunt, si tres excipias, immo collectiones liturgicas continent italograecam indolem saepe denuntiantes. In Italia australi omnes fere exaratos aut saltem servatos esse verisimillime affirmari potest; quin decem notas italograeci scripturae stili qui Rheginus vocatur proprias plus minusve exhibent.[18] Originis denique indicia, quae in ipsis codicum enarrationibus notavi et in dissertatione *Notes et documents* inscripta ulterius indagavi, hos libros e variis Calabriae inferioris vel Siciliae monasteriis collectos et quattuor ex eis (Vat. gr. 1813, 1866, 1873, 1894) Seminarae in monasterio Sancto Philareto dicato saeculo XVI post medium pro tempore servatos esse aperte monstrant. Singularis tamen et mira fortuna codici Vat. gr. 1833 contigit, qui solus inter Cryptoferratenses in hac viginti novem codicum serie computatus est, cum vicinus Cryptoferratensis Vat. gr. 1834 huiusmodi notam nullo modo praeberet. Quae cum ita sint, de origine « italograeci agminis » hoc conicere audeo: codicum e monasteriis aut ecclesiis Calabriae inferioris vel Siciliae manantium numerus quidam saeculo XVI ex. in S. Philareti monasterio collectus est, priusquam in Bibliothecam Vaticanam — cur et quomodo nescio — transferretur. Codices vero postquam Vaticanas aedes ingressi sunt bibliothecarii supra dictis notis numeralibus instruxerunt, Cryptoferratensi libro (i. e. Vat. gr. 1833) seriei imprudenter incluso. Nec negandum videtur libros numeris hodie desideratis olim signatos in Vaticanorum serie nihilominus adesse, quamvis notis orbi dinosci iam non possint.

15. Per saeculum XV^um et XVI^um haud pauca Bibliothecae cimelia cum in codicum Vaticanorum graecorum serie locum aptum aegre tenerent (libros puta mensurarum vel formae insolitae, fragmenta ignotas materias praebentia, virorum eruditorum adversaria, codices typis impressos foliis manuscriptis auctos, etc.), pro tempore seposita sunt, priusquam de eorum conditione ad summam statueretur. Quae omnia fere saeculum praesertim XVII ante medium collecta et consuta complures codices « miscellaneos » ut aiunt effecerunt. Quorum viginti quattuor, Lollinianis libris exclusis, haud minus quam 359 partes inter sese ab origine alienas complectentes in hoc catalogo enarrantur.[19] Etsi uniuscuiusque indagandi hic non est locus, nonnullas tamen species vel classes distinguere velim. Primam quidem constituunt fragmenta ex ipsis Vaticanis codicibus avulsa, quorum pleraque tempore ut puto Romanae eversionis a. 1527 a militibus ferociter disiecta et

[18] V. indicem alphabeticum sub voce « scripturae stili ».

[19] En elenchus (post unumquemque codicem indicatur intra uncos lunatos numerus fragmentorum quae in eo inclusa sunt): Vat. gr. 1822 (7), 1823 (18), 1824-25 (8), 1826 (19), 1840 (2), 1842 (16), 1858 (15), 1862 (18), 1878 (11), 1879 (17), 1880 (4), 1882 (24), 1890 (19), 1892 (8), 1893 (2), 1896 (11), 1898 (27), 1902 (35), 1904 (26), 1908 (10), 1912 (8), 1914 (4), 1944 (3), 1949 (47).

confusa bibliothecarii quantum poterant receperunt.[20] Alia quaedam adversae fortunae exposita in Bibliothecam Vaticanam iam mutila pervenerunt, ut codicis fragmentum ab ipso Demetrio Triclinio annotatum (Vat. gr. 1824-25 III). Nec rari occurrunt libri et chartae virorum inter eruditos illustrium, e quibus memorasse sufficiat Nicephorum Gregoram, Demetrium Cydonium, Manuelem Calecam, Isidorum Kioviensem recentioresque Angelum Colocciuin et Guillelmum Sirletum, cuius adversariis apographa imperfecta aut chartae privatae nonnullorum e scriptoribus Bibliothecae Vaticanae saec. XVI addictis commixta invenies, illius praesertim Emmanuelis Provatarii de quo alibi amplius egi.[21]

16. At in virum eruditum quendam priore saeculi XVI parte florentem studiosi rerum humanisticarum ut aiunt animum potius intendant velim, quem equidem agnoscere non valuerim. Cuius iussu, immo aliquando calamo haud pauca exempla exarata sunt, Vaticani scil. graeci 1826 (partes I, IV-XII, XV, XVII), 1878 (I-VII, IX, XI), 1890 (VI), 1898 (XIII). Iam Romae virum lexicographicae imprimis rei studiosum vixisse et laborasse officinarum chartariarum signa manifeste demonstrant.

17. Multorum tamen inter num. 1807 et 1922 positorum codicum originem detegi non posse nemo est qui miretur, cum de hac Vaticanorum graecorum parte nihil omnino praebeat Bibliothecae Vaticanae archivium, paucissima vero ab ipsis codicibus elici queant.

III. De codicibus post annum 1628 notis numeralibus insignitis (Vat. gr. 1923 circa-1962).

18. Duo nondum fluxerant anni post ordinem codicum a. 1628 penitus mutatum cum huius rei auctor Felix Contelorius officium in Bibliothecae die 7 m. maii a. 1630 deposuit. Cuius in locum suffectus Horatius Iustinianus (Orazio Giustiniani: 1630-1640) opus librorum manuscriptorum graecorum ordinandorum describendorumque intermisit. At mox munus infeliciter interruptum iterum assumpsit Leo Allatius (Allacci), qui primum ut scriptor (1640-1660), deinde ut custos (alter custos: 1660-1661; primus custos: 1661-1669) graecis codicibus loca assignavit numerosque tribuit. Cur laborem non

[20] V. praesertim Devreesse, *Le fonds grec...*, pp. 264-266. Cf. indicem alphabeticum sub voce « Vaticana bibliotheca: codices Bibl. Vaticanae a quibus folia olim avulsa in nostris codicibus inserta sunt ».

[21] P. Canart, *Un Crétois scriptor de la Bibliothèque Vaticane: Emmanuel Provataris*, in *Πεπραγμένα τοῦ Α' Διεθνοῦς Κρητολογικοῦ Συνεδρίου*, t. II (= *Κρητικὰ Χρονικά*, t. 15-16, 1961-62, fasc. II), Herakleion, 1963, pp. 84-96; Id., *Les manuscrits copiés par Emmanuel Provataris (1546-1570). Essai d'étude codicologique*, in *Mélanges Eugène Tisserant*, t. VI (*Studi e Testi*, 236), Bibl. Vat., 1964, pp. 173-287.

sine cunctatione et dubitatione perfecerit haud semper manifestum apparet, at singula minutioraque neglegens (de quibus v. sis dissertationem *Notes et documents* inscriptam) rem per summa capita hic tractabo.

19. Haud multo temporis spatio post codicum ordinem a. 1628 mutatum interiecto, nonnulli codices, quorum aliquot in Bibliotheca a. 1628 certe aderant, Vaticanorum graecorum seriei sunt adiuncti; ita inter codices Vat. gr. 1923-1929 codicem 1924-25 tantum citabo quem Horatio Iustiniano custode exaratum esse constat. Tunc notis 1928 et 1929 insigniti erant hodierni codices Vat. gr. 1936 et 1933, quorum prioris in Bibliothecae pluteis iam ante a. 1628 positi numeroque 1578 initio distincti mira postea fuit intricataque fortuna; sed de his ampliora vide sis in dissertatione mea pluries iam citata.

20. Intra annos 1640-1646 codices Palatinos graecos Vaticanorum agmini includere adortus est Leo Allatius, qui tamen postquam Palatinis graecis 1-21 numeros 1930-1950 seriei codicorum Vaticanorum graecorum pro tempore tribuit, ab incepto mox destitit, ut Palatinis iam exclusis Vaticanorum graecorum numerus ad 1929 revocaretur.

21. Inter conatum codicum Palatinorum graecorum Vaticanis coniungendorum et initium Allatii primi custodis officii, i. e. ante annum 1661, publice assignatae sunt codicibus notae 1930-1940 postremumque numerum acceperunt hodierni Vaticani gr. 1928-29, 1936, 1933. Porro notae 1941-1949 magno labore tributae sunt, cum haec numerorum series haud minus bis mutaretur, quod notarum vestigia in ipsis codicibus occurrentia [22] inventariumque quoddam a Leone Allatio adumbratum [23] aperte testantur. Quibus in dissertatione mea saepius citata longe expositis, hoc monebo quod primigenia series eos tantum codices comprehendebat qui ante a. 1661 ad Bibliothecam accederant; posterior vero adventus duorum codicum, hodiernorum scil. Vat. gr. 1941 et 1888 (qui nota 1941 paulisper affectus est), causa fortasse fuit ordinis primum mutandi; quidquid fuit, series ultimum definita est post Stephani Gradi custodis mortis annum 1683. Quem inter annum et saeculi finem codicibus assignatae sunt notae 1950-1961 necnon ut puto 1962, huius catalogi ultima. Postea usque ad annum 1786, quo codices « Basiliani » ut aiunt (Vat. gr. 1963-2123) empti sunt, nullo modo crevit Vaticana series.

22. Si codicum in hoc catalogo descriptorum ultimum coetum (i. e. Vat. gr. 1923-1962) inspexeris, sat multa invenies exempla quae e calamo scrip-

[22] V. in unaquaque descriptione paragraphum quae inscribitur NOTAE ANTIQUAE.

[23] Hodie in codice Barb. lat. 3069 (ff. 300-304) servatur. Descripti sunt Vaticani gr. 1941-1947, qui iidem sunt ac hodierni codices Vat. gr. 1942, 1951, 1948, 1945, 1947, 1943, 1946.

torum graecorum Bibliothecae Vaticanae saeculo XVII addictorum fluxerunt. Quorum cum operam in dissertatione *Notes et documents* inscripta paulo amplius tractem, hic nomina memorasse sufficiat. Ut de Leone Allatio satis noto taceam, de Francisco Gozzadino imprimis agitur, Collegii Graeci in Urbe alumno, deinde scriptore graeco ab a. 1651 (aut iam fortasse 1646) ad a. 1654, tandem episcopo Zacynthio et Cephalleniensi. Porro tres citandi sunt a Chio genere Portiorum orti. Gregorius, scriptoris nomine ab a. 1614 ad a. 1646 publice insignitus, munus re vera per nepotes explevit; quorum prior Laurentius ab a. 1625 avunculo vicarius publice datus scriptoris officium ab a. 1654 ad a. 1676 assumpsit; alter vero Symeon avunculi et fratris locum aliquandiu private tenuit, priusquam munus a. 1661 acciperet, cuius usque ad a. 1682 nomen saltem retinuit. Sed ipse vicarium ab a. 1672 Iosephum de Iuliis (ab. a. 1682 ad a. 1687 scriptorem) habuit, cuius scriptura cum Laurentii Portii senis simillima scriptura facile confundi potest. Tandem Iosephus de Camillis Basilianorum Romae procurator quamquam per breve tempus scriptoris munere functus est (aa. 1688-1689), operae suae testem alteram codicis Vat. gr. 1961 partem reliquit. Quibus nominibus notis viris nonnulli addendi sunt amanuenses qui occasione data publicis scriptoribus operam praestaverunt.

23. Restat ut inter cetera digna quae animadvertantur codices Vat. gr. 1957-1960 memorentur, exempla scil. quae postquam nonnullis tractatibus in Propagandae Fidei S. Congregationis typographia intra annos 1630-1640 typis imprimendis inservierunt, Bibliothecae Vaticanae servanda tradita sunt. Quando et quomodo hoc factum sit licet presse definiri nequeat, certe codices post complures annos in Bibliothecam Vaticanam pervenerunt.

Tabulae quibus Lollinianorum codicum numeri hodierni, «novi», «antiqui» conferri possunt

1. *Numeris hodiernis* (*et* « *novis* ») *praemissis*

HODIERNI	NOVI	ANTIQUI	ALII	HODIERNI	NOVI	ANTIQUI	ALII
1684	2	113		1725	41	38	
1685	1	114		1726	42	37	
1686	3	112	25	1727	43	32	
1687	4	115		1728	44	43	
1689	5	111		1729	45	44	
1690	6	107	24	1730	46	48	
1691	7	108	23	1731	47	49	
1692	8	109	I°	1732	48	47	
1693	9	100	21/986	1733	49	51	
1694	10	18		1734	50	52	20
1695	11	11		1735	51	50	
1696	12	12	19	1736	52	53	
1697	13	13		1737	53	45	
1698	14	15		1738	54	46	
1699	15	14		1739	55	118	
1700	16	16		1740	56	2	15
1701	17	99	100	1741	57	1	
1702	18	95	1692B	1742	58	3	17
1703	19	103		1743	59	6	
1704	20	110		1744	60	4	16
1705	21	101		1745	61	5	
1706	22	102		1746	62	7	10
1707	23	106		1747	63	8	14
1708	24	117	27	1748	64	9	15
1709	25	116		1749	65	10	n° 7
1710	26	105		1750	66	19	
1711	27	40		1751	67	20	14°
1712	28	119		1752	68	17	
1713	29	42		1753	69	21	
1714	30	26		1754	70	22	
1715	31	27		1755	71	23	8
1716	32	41		1756	72	97	
1717	33	28	5°	1757	73	24	
1718	34	34		1758	74	25	9
1719	35	35		1759	75	98	99
1720	36	30		1760	76	96	
1721	37	31		1761	77	104	22/16
1722	38	33	2	1762	78	39	
1723	39	29		1763	79	55	
1724	40	36		1764	80	54	

HODIERNI	NOVI	ANTIQUI	ALII	HODIERNI	NOVI	ANTIQUI	ALII
1765	81	56		1786	102	77	
1766	82	60		1787	103	90	2279
1767	83	63	12	1788	104	120	
1768	84	57	60	1789	105	92	2260?
1769	85	65		1790	106	91	
1770	86	59		1791	107	82	
1771	87	58	5(?)	1792	108	84	
1772	88	61		1793	109	81	
1773	89	62	20	1794	110	80	
1774	90	64		1795	111	78	26
1775	91	66	6	1796	112	83	
1776	92	67		1797	113	85	
1777	93	74		1798	114	86	
1778	94	69		1799	115	87	
1779	95	68		1800	116	88	
1780	96	70		1801	117	89	
1781	97	71		1802	118	93	
1782	98	75		1803	119	94	
1783	99	72		1923	120	121	
1784	100	73		1806	121	79	
1785	101	76					

2. *Numeris «antiquis» praemissis.*

ANTIQUI	HODIERNI	ANTIQUI	HODIERNI	ANTIQUI	HODIERNI	ANTIQUI	HODIERNI
1	1741	31	1721	61	1772	91	1790
2	1740	32	1727	62	1773	92	1789
3	1742	33	1722	63	1767	93	1802
4	1744	34	1718	64	1774	94	1803
5	1745	35	1719	65	1769	95	1702
6	1743	36	1724	66	1775	96	1760
7	1746	37	1726	67	1776	97	1756
8	1747	38	1725	68	1779	98	1759
9	1748	39	1762	69	1778	99	1701
10	1749	40	1711	70	1780	100	1693
11	1695	41	1716	71	1781	101	1705
12	1696	42	1713	72	1783	102	1706
13	1697	43	1728	73	1784	103	1703
14	1699	44	1729	74	1777	104	1761
15	1698	45	1737	75	1782	105	1710
16	1700	46	1738	76	1785	106	1707
17	1752	47	1732	77	1786	107	1690
18	1694	48	1730	78	1795	108	1691
19	1750	49	1731	79	1806	109	1692
20	1751	50	1735	80	1794	110	1704
21	1753	51	1733	81	1793	111	1689
22	1754	52	1734	82	1791	112	1686
23	1755	53	1736	83	1796	113	1684
24	1757	54	1764	84	1792	114	1685
25	1758	55	1763	85	1797	115	1687
26	1714	56	1765	86	1798	116	1709
27	1715	57	1768	87	1799	117	1708
28	1717	58	1771	88	1800	118	1739
29	1723	59	1770	89	1801	119	1712
30	1720	60	1766	90	1787	120	1788
						121	1923

ADDENDA ET EMENDANDA

In his Addendis et Emendandis omnia inclusi quae de codicibus Vaticanis graecis 1745-1962 ab altera parte anni 1970 ad primos menses anni 1973 mihi innotuerunt. Rationem in primis habui earum rerum de quibus in recensionibus ut aiunt prioris tomi benigne monuerunt viri docti et amici, quibus gratias maximas ago: v. F. Halkin in *Anal. Boll.*, t. 89 (1971), pp. 205-206; J. Darrouzès, in *Revue des Études byzant.*, t. 29 (1971), pp. 326-328; J. Irigoin, in *Scriptorium*, t. 25 (1971), pp. 323-324; praeterea de nonnullis C. Astruc et A. Turyn per litteras me humanissime certiorem fecerunt. At conscius mihi sum sat multa alia me verisimiliter fugisse, quae benignum lectorem mihi condonaturum spero. Eum etiam monitum volo dissertationes viri d. J. Mateos quibus titulus *Evolution historique de la liturgie de s. Jean Chrysostome* in ephemeride *Proche-Orient chrétien* luci datas annis 1965-1970 nuper in uno volumine collectas esse quod inscribitur J. Mateos, *La célébration de la Parole dans la liturgie byzantine. Étude historique* (*Orient. Christ. Analecta*, 191), Roma, 1971. Locos quibus codices nostri citantur singillatim recensere inutile duxi, cum in ipsis enarrationibus eos iam memoravissem.

Praefatio: p. VII, lin. 17. Loco « proponebuntur » lege « proponentur ».

1745: p. 1, ad num. 1 (ff. 1v-62v).

De schedographiis anonymis v. nunc J. J. Keaney, *Moschopulea*, in *Byz. Zeitschrift*, t. 64 (1971), pp. 303-313; alii codices cum quibus noster conferendus est sunt Barb. gr. 102, Pii II gr. 54, Vat. gr. 1527. Conferri etiam possunt schedographiae codicum 1745 et 1953 cum schedographia brevi cuius textum (non commentarios, si unum excipias) e codice Marciano gr. XI 16 ed. Ada Debiasi Gonzato, *Osservazioni ad alcuni esercizi schedografici del cd. Marc. gr. XI, 16*, in *Rivista di studi bizant. e neoellenici*, n. s., t. 8-9 (1971-72), pp. 109-125 (excerpta a nostris plane discrepant, si unum alterumve excipias; excerptum *Μίμησαι τὸν μύρμηκα* in cod. 1953 ff. 63-64 occurrit, at commentarius differt ab eis quae A. Debiasi Gonzato in pp. 122-125 transscripsit).

p. 1, ad num. 2 (ff. 63-120).

De technologiis Agapeti capitibus annexis, v. nonnulla apud J. J. Keaney, *Moschopulea* nuper cit., pp. 319-321.

1746: p. 7, ad num. 5, linn. 1-2 a. i. (f. 124v).

Haec erotapocrisis e dialogo senum *περὶ λογισμῶν* excerpta est, quem ed. J.-Cl. Guy, *Un dialogue monastique inédit περὶ λογισμῶν*, in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. 33 (1957), pp. 171-188; est num. 20 apud Guy, p. 180. Gratias maximas ago viro d. C. Astruc qui de hac re me benigne certiorem fecit.

p. 8, ad num. 8 (ff. 125-131).

De hoc tractatu, qui Evagrio Pontico tribuendus videtur, v. etiam *Évagre le Pontique, Traité pratique ou Le moine*, t. I. *Introduction*, par A. Guillaumont et Claire Guillaumont (*Sources chrétiennes*, 170), Paris, 1971, pp. 132, 150, 173-174, 182, 265.

pp. 11-12, ad num. 11 [g](ff. 224-225[v]).

De opusculo quodam breviore sed huic affini v. S. Lilla, *Un opuscolo sulla teologia trinitaria in quattro codici Vaticani*, in *Vetera Christianorum*, t. 10 (1973), pp. 51-58, qui codicem nostrum p. 51 n. 2 citat.

p. 13, ad num. 11 [f](ff. 230[v]-231).

Excerptae sunt hae maledictiones et benedictiones e s. Nili sententiis (P. G. 79, 1240-1249): sunt capp. 78-86, 88-89 (v. J. Darrouzès in *Rev. des Études byz.*, t. 29, 1971, p. 327).

p. 13, ad num. 11 [h](f. 231).

Est prior pars capitis 86 centuriae II s. Maximi Confessoris capitum de caritate (P. G. 90, 1012 C 3-7); v. J. Darrouzès modo laud.

p. 13, ad num. 12 (f. 240).

Hae tres erotapocriseis e dialogo senum *περὶ λογισμῶν* excerptae sunt (v. edit. Guy supra citatam in Add. ad p. 7, num. 5): sunt numeri 20. 31. 19 (Guy, pp. 180, 182, 179). De qua re me benigne monuit vir d. C. Astruc.

p. 15, ad num. 18 [1](f. 297), lin. 1 a. i.

Ὁ Νικομηδείας verisimillime est Stephanus ep. Nicomediensis qui a Leone diacono simul cum Symeone Metaphrasta citatur: v. *Leonis diaconi... historiae libri decem* ed. C. B. Hase, Bonnae, 1828, p. 169, 5-7; v. J. Darrouzès supra laud.

1747: pp. 17-18.

De codice v. R. Mennes, *Hesychius van Jeruzalem. Inventaris van de Griekse handschriftelijke overlevering met de uitgave en vertaling van het Groot Commentaar op psalm 100 en 102* (*Rijksuniversiteit te Gent. Verhandeling ingediend tot het behalen van de graad van licentiaat in de Letteren en Wijsbegeerte — sectie Klassieke Filologie*), Gent, 1971 (dactylographice ut aiunt ed.), sub num. 155.

1751: p. 26, ad num. [9](f. 37). Loco « *τέλῳ* » lege « *τέλει* ».

p. 27, ad num. 3 (ff. 65[v]-103[v]).

De Michaelis syncelli tractatu v. etiam D. Donnet, *La tradition imprimée du traité de grammaire de Michel le Syncelle de Jérusalem*, in *Byzantion*, t. 42 (1972), pp. 441-508 (codex noster p. 456 n. 1 obiter memoratur).

p. 30, ad num. 10 (f. 224[v]) et p. 34 ad Script.

Versus *Θεοῦ τὸ δῶρον καὶ ‹Ἐ›μμανουὴλ πόνος* absque dubio scribam indicat (de qua re me benigne monuit vir d. C. Astruc). Etenim haec formula ubicumque in codicibus occurrit librarium non auctorem denuntiat: v. V. Gardthausen, *Griechische Palaeographie*, t. II, Leipzig, 1913[2], pp. 434 et 436; L. Politis, *Eine Schreiberschule im Kloster τῶν Ὁδηγῶν*, in *Byz. Zeitschrift*, t. 51 (1958), pp. 19, 261, 265, 266, 268, 277, 279, 280, 281; cf. etiam enarrat. cod. Vat. gr. 1746 (v. Script.). Itaque omnino reicienda est hypothesis viri d. A. Kopp.

p. 34, ad Annot., lin. 9. Loco « eti nfra » lege « et infra ».

1753: pp. 39-42, ad num. 6.
De hac collectione v. J. Darrouzès in *Rev. des Études byz.*, t. 29 (1971), p. 327.

p. 39 ad num. 6 [1-10] (ff. 37-38).
Loco « eiusdem ep. 359 » lege « eiusdem (sic cod.; revera Basilii*) ep. 359 ».

pp. 42-43, ad num. 8 [3] (ff. 74v-75).
De s. Epiphanii opusculo de mensuris et ponderibus v. nunc Elias D. Moutsoulas, *Τὸ « Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν » ἔργον Ἐπιφανίου τοῦ Σαλαμῖνος*, in *Θεολογία*, t. 41 (1970), pp. 618-637, t. 42 (1971), pp. 473-505 (de nostro codice v. p. 486), t. 43 (1972), pp. 309-340.

p. 47, ad INTEGUM. Adde « de antiquiore integumento v. supra NOT. ANT. ».

1754: p. 50, ad ANNOT., lin. 6. Loco « 1940 » lege « 1490 ».

p. 50, ad BIBL.
De imaginibus v. etiam A. Ferrua, *Il card. Federigo Borromeo e le pitture delle catacombe*, in *La Civiltà cattolica*, ann. 113 (1962), vol. I, p. 249 (de imaginum apographo in codice Ambros. F. 221 inf.); Maria Theochare, *Ἱστορημένον χειρόγραφον ἐκ τῆς μονῆς Ἁγίου Γεωργίου τῶν Κρημνῶν Ζακύνθου*, in *Πρακτικὰ Τρίτου Πανιονίου Συνεδρίου*, t. II, ἐν Ἀθήναις, 1969, pp. 281-291 (v. pp. 288-289); R. Stichel, *Studien zum Verhältnis von Text und Bild spät- und nachbyzantinischer Vergänglichkeitsdarstellungen* (*Byzantina Vindobonensia*, 5), Wien 1971, pp. 54-55, 67. — Partem folii 8v phototypice dedit etiam J. Meyendorff, *St Grégoire Palamas et la mystique orthodoxe* (*Maîtres spirituels*), Paris, 1959, p. 92 (cf. p. 188).

1755: p. 53, linn. 13-15 ad [c] (f. IIIr-v).
Canones duo quos summatim memoravi hi sunt: prior canon Iosephi toni plag. 1, inc. *Σώματα προϊέμενοι* (de quo v. nunc dissertationem E. I. Tomadakes infra citat. in Add. ad cod. 1820; sub num. 426 p. 195 recensetur); alter canon Theophanis in defunctos toni plag. 1, inc. *Θειοτάτῃ στοργῇ*.

p. 53, linn. 20 sqq., ad f. 319, num. [2].
Unam e recensionibus ed. I. Sajdak, *De codicibus graecis in Monte Casino*, Cracoviae, 1912, p. 32: v. BHG[a] 603d.

1756: p. 55, ad num. 2 [4-5] (ff. 93-94, 94-95v).
Hae duae epistulae in BHG[a] recensentur sub num. 260b I-II; — codex noster memoratur a L. Canfora, *Altri manoscritti Giulianei*, in *L'Antiquité Classique*, t. 37 (1968), p. 636.

p. 57, lin. 4, ad num. 6 (ff. 129-143). Adde in fine: Ff. 143v-144v vacua.

p. 57, ad num. 8 (ff. 148-153).
De duabus eiusdem opellae recensionibus minus recte scripsi, ut v. d. Iosephus Mogenet humanissime me monuit. Revera duae opellae sunt, quarum prior de eclipsi anni D. 1333 (mundi 6841) tractat, altera vero, qua in codice nostro occurrit, de eclipsi anni D. 1337 (mundi 6845). — codici Vat. gr. 193

(v. paenult. lin.) adde etiam cod. Riccardianum gr. 41, ff. 82-86 (v. G. Vitelli *in Studi italiani di filol. class.*, t. 2, 1894, p. 500).

Perperam asserui auctoritate catalogi Zanetti nisus arithmeticam demonstrationem Barlaami a codice Marciano gr. 332 abesse; attamen haud omnino persuasum mihi habeo codicem Vaticanum e Marciano transcriptum esse: v. quae de hac re disseram in libro qui inscribitur *Notes et documents pour l'histoire des Vaticani graeci 1487-1962* (mox in collectione *Studi e Testi* in lucem dabitur).

p. 62, ad SCRIPT.

E scribis litteris latinis distinctis, scriba « e » est Maximus Margunius (e scriptura).

1758: p. 66, ad ANNOT., lin. 5. Loco « expiscentur » lege « eliciantur ».

1759: p. 66, ad num. 1, lin. 2. Loco « Gebhard » lege « Gebhardt ».

p. 67, ad num. **7** (ff. 67-78^{v}).

Nuper dialogum denuo ed. P. L. M. Leone, *Il Φιλομαθὴς ἢ περὶ ὑβριστῶν di Niceforo Gregora*, in *Rivista di studi bizant. e neoellenici*, n. s., t. 8-9 (1971-72), pp. 171-201 (textus pp. 185-201); quem virum doctum codex noster latuit.

p. 69, ad num. **10** ^{1} *ιβ'* (f. 135^{v}).

Hanc inscriptionem post Cornelium et *C. I. G.* ed. G. Gerola, *Monumenti veneti dell'isola di Creta*, t. IV, Venezia, 1932, pp. 560-561 sub num. 51 (codicem nostrum citat at non vidit). Animadverte codicem has lectiones litteris minusculis exaratas praebere: *Μανοῦ — Πατερίμου — τῆς βασιλείας — ἔτει ͵ςωα' — οἰκονίας* (sic) — *͵ασϛβ'*.

p. 70, ad num. **13** ^{6}(ff. 209^{v}-218^{v}).

Initium huius excerpti (*Ἄριστα μὲν πάντων*) subiungere haud inutile videtur, cum vir d. G. I. Theocharides (*Ὁ Ματθαῖος Βλάσταρις καὶ ἡ μονὴ τοῦ Κὺρ-Ἰσαὰκ ἐν Θεσσαλονίκῃ*, in *Byzantion*, t. 40, 1970, pp. 441 et 442 n. 1 sub fine) id non agnoverit.

pp. 71-72, ad num. **16** ^{3}(ff. 235^{v}-238).

Catalogo H. Diels nisus hunc textum memorat etiam R. Joly, *Hippocrate*, t. XI. *De la génération* etc. (*Coll. ... Budé*), Paris, 1970, pp. 36-37, n. 7.

p. 72, ad num. **17** ^{1}(ff. 241-243).

Codex memoratur etiam ab E. Vogt, *Eine unberücksichtigt gebliebene Wiener Handschrift mit Prokloshymnen* (*Cod. Vindob. Suppl. Graec.* 83), in *Wiener Studien*, t. 79 (1966) (= *Donum natalicium Albin Lesky*), p. 244.

pp. 72-73, ad num. **17** ^{6}(ff. 249-260).

Codicem (quem e Biliński novit) citat M. Manfredini, *Giorgio Gemisto Pletone e la tradizione manoscritta di Plutarco*, in *Annali della Scuola Normale Superiore di Pisa*, ser. 3, t. 2 (1972), p. 573 n. 3.

p. 73, ad num. **18** ^{1}(ff. 261-262). Loco « Paris. gr. 3032 » lege « Paris. gr. 3039 ».

p. 75, ad num. **21** (ff. 419-426^{v}).

Haec folia tamquam a Iohanne Eugenico exarata memorat V. Laurent, *Eugénicos (Jean)*, in *Dictionn. d'Hist. et de Géogr. Ecclés.*, t. XV, 1963, col. 1371, auctore G. Mercati.

p. 77, ad SCRIPT.

Inter scribas litteris latinis distinctos, scriba « e » est Maximus Margunius (e scriptura).

p. 77, ad BIBL., lin. 2. Loco « Gebhard » lege « Gebhardt ».

1764: pp. 84-87, ad num. 1 (ff. 1-118^v).

De excerptis hesychianis, v. R. Mennes, *Hesychius van Jeruzalem* etc. (v. supra Add. ad cod. 1747), sub numm. 241, 261.

p. 85, ad num. ^{2b} (f. 9^v).

Dorothei notitiae in hoc codice inclusae memorantur ab A.-M. Denis, *Introduction aux pseudépigraphes grecs d'Ancien Testament* (*Studia in V. T. pseudepigrapha...*, 1), Leiden, 1970, p. 86 n. 7.

p. 86, ad num. ^{11} (ff. 24-28^v).

De capitibus et scholiis hesychianis v. etiam J. Lécuyer, *Jésus, fils de Josédec, et le sacerdoce du Christ*, in *Recherches de sciences religieuses*, t. 43 (1955), p. 100, ubi codex noster citatur.

p. 86, ad num. ^{15} (f. 76^v).

Qui liber Danielis in BHG sub num. 1870 recensetur.

p. 87, ad num. 2 ^{3} (ff. 119-122^v).

Dissertatiuncula S. G. Mercati typis denuo data est in: S. G. Mercati, *Collectanea Byzantina*, t. I, Bari, 1970, pp. 538-542.

p. 89, ad BIBL.

Codicem citavit at eo non usus est J. Ziegler, *Duodecim Prophetae* (*Septuaginta... Societ. Litt. Gottingensis ed.*, XIII), Göttingen, 1943, v. p. 11 et cf. p. 92; eiusd. *Isaias* (*Septuaginta*, XIV), Göttingen, 1939, p. 11 et cf. pp. 92-93 n. 2; eiusd. *Ieremias* (*Septuaginta*, XV), Göttingen, 1957, p. 11; eiusd. *Ezechiel* (*Septuaginta*, XVI, 1), Göttingen, 1952, p. 11; eiusd. *Susanna. Daniel. Bel et Draco* (*Septuaginta*, XVI, 2), Göttingen, 1954, p. 30.

1766: p. 90, ad num. 1 ^{1} (ff. 1-7^v).

Hic sermo recensetur in BHG^a sub num. 451v.

1767: pp. 92-93, ad num. 1 (ff. 1-160^v).

De codice v. etiam R. Mennes, *Hesychius van Jeruzalem* etc. (v. supra Add. ad cod. 1747), sub num. 384.

p. 94, ad SCRIPT.

Iam fere certum est scribam « A » esse Nicephorum chartophylacem monachum Patmi; gratias ago maximas viro docto et amico Athanasio Kominis, qui tabulam phototypicam codicis a Nicephoro exarati mihi benigne transmisit (v. etiam introd. § 10).

p. 94, ad BIBL.

Dissertatio s. G. Mercati typis denuo data est in: S. G. Mercati, *Collectanea Byzantina*, t. I, Bari, 1970, pp. 271-309 (v. p. 299 n. 32).

1768: p. 96, ad Bibl.
Codicem memorat etiam A. D. Komines, *Πίνακες χρονολογημένων Πατμιακῶν κωδίκων, ἐν Ἀθήναις*, 1968, p. 8 ad tab. 12 A (p. 24 in versione anglica operis, de qua v. Add. ad cod. 1773).

1769: p. 96, ad litt. [a] (f. 437) ⟨de Christo omnes gradus ecclesiasticos percurrente⟩.
Cf. sis capitulum 81 collectionis apophthegmatum anonymae, quod ed. F. Nau in *Revue de l'Orient chrétien*, t. 12 (1907), p. 398; v. etiam A. Wilmart, *Les ordres du Christ*, in *Revue des sciences religieuses*, t. 3 (1923), pp. 305-327 (textum graecum apophthegmatis ed. pp. 325-327). Codicis nostri recensio 5 gradus comprehendit et a ceteris latinis et graecis discrepat.

1770: pp. 97-98, ad num. 2 (ff. 113-149).
V. nunc *Olympiodori in Platonis Gorgiam commentaria* ed. L. G. Westerink (*Bibl. Teubneriana*), Leipzig, 1970 (cod. noster des. p. 77, 22); de codice nostro v. pp. XII-XIV.

p. 99, ad Script.
Scribam partis 1 (i. e. Nicephorum chartophylacem seu scribam « A ») inter anonymos memoravit D. Harlfinger, *Die Textgeschichte der pseudo-aristotelischen Schrift Περὶ ἀτόμων γραμμῶν*, Amsterdam, 1971, p. 420.

1771: p. 100, ad num. 9 (ff. 91v-128).
De hac collectione v. nunc J.-R. Vieillefond, *Les « Cestes » de Julius Africanus* (*Publications de l'Institut Français de Florence*, Ière série, nº 20), Firenze - Paris, 1970, pp. 77-101 et 189-198; textus Iulii Africani excerptorum pp. 103-187 (= 6-51 prioris editionis) et 201-213 (= 56-63 prioris editionis) invenitur; animadverte tamen capita 35-36 Thévenot a recentiore editione expulsa esse, utpote foetus Byzantini expilatoris cuiusdam (v. p. 191); inter excerpta ab Africano et Aenea aliena nonnulla e Polyaeno sunt accommodata (v. p. 191).

1772: p. 101, ad num. 2 (ff. 56-165v).
V. nunc editionem quam dedit G. H. Jonker, *The Harmonics of Manuel Bryennius* (*Rijksuniv. te Groningen. Proefschrift*), Groningen, 1970. De codice nostro v. p. 42, sub num. 49 (ubi loco p. 99 sq. lege p. 101 sq.; nam paginarum notae numerales in catalogo post plagulas auctori transmissas mutatae sunt).

1773: p. 103, ad num. 2 (ff. 261-278v).
De codice v. etiam R. Mennes, *Hesychius van Jeruzalem* etc. (v. supra Add. ad cod. 1747), sub num. 341.

p. 104, ad num. 3 [a] (ff. 341-374).
Hunc tractatum nuper edidit J. J. Rizzo, *Isaak Sebastokrator's « Περὶ τῆς τῶν Κακῶν Ὑποστάσεως »* (*De Malorum Subsistentia*) (*Beiträge zur klass. Philologie...*, 42), Meisenheim am Glan, 1971. De codice nostro (L) v. pp. xxix-xxxix. Recte putat editor (licet paulisper dubitet) scribam et correctorem unum atque eundem esse; at miro modo errat asserens codicem nostrum chartaceum saec. XVI ex. partim saltem rescriptum esse (« Here and there faint traces of an

earlier text are evident, indicating that at least part of L is a palimpsest »: p. xxx): vestigiis litterarum in pagina versa exaratarum verisimiliter deceptus est.

p. 104, ad SCRIPT.
